

planetarum tempore quocunq;. Prædictæ etiam partes post gradus minutia dictæ sunt, secundum numerorum processorum naturalium ab unitate incipientium, quæ primæ fractioni, hoc est, minutis accommodabitur. Secundæ uero fractioni, scilicet secundis, dualitas. Ternarius uero fractioni tertiæ, hoc est, tertijs: Quaternarius autem quartis, & sic in infinitum, secundum quod talis quantitas apta est diuidi in infinitum. Hac itaq; diuisione minutiarum numerus in infinitum partes continui auget discrete, quas secundum quantitatem continuam diminuit integrorum puta signorum & graduum semper manente finita. Non aliter & ipsum tempus computandum erit, isto duntaxat adiecto, quod in tempore horæ sunt integræ quemadmodum gradus in motu. Quicquid autem erit ante illas, sunt dies, ante quos accipi quandoq; contingit menses, quandoq; uero sine his similiter annos. Hæc de numeratione tam motus quam temporis ad præsens sufficiant.

De Additione.

S itaq; numeros plures, siue diuersæ denominationis fuerint, siue eiusdem sibi inuicem addere uolueris, scribe prius utrunq;, tam illum cui debet fieri additio, quam addendum distincte unamquamq; denominationem sub genere suo, signorum scilicet numerum sub signis, graduum sub gradibus, minorum sub minutis, secundorum sub secundis, tertiorum sub tertijs, quartorum sub quartis. Sic omnes numeratores eiusdem denominationis sibi inuicem subscribantur, scilicet prima figura addendi sub prima illius, cui additio fieri debet: secunda sub secunda &c. quibus sic stantibus, incipe operari à dextris uersus sinistram procedendo, ut integrorum iubet ars, addeq; primam ordinis inferioris, primæ superioris, uel ergo ex tali additione unius ad aliam excreuit digitus uel articulus, aut numerus compositus. Si primum loco superioris deletæ, scribatur digitus ex crescentiæ: Si secundum loco superioris deletæ, scribatur cyfra, & sinistretur articulus, iungaturq; proximo sequenti. Si numerus compositus loco superioris, ut prius deleti, scribatur digitus, qui est pars illius compositi, & sinistretur articulus ut supra. Quo facto ad secundum figurarum ordinem eiusdem denominationis procedatur, sub quo eandem formam repete operationis qua sub primo ordine figurarum usus es. Hoc unico obseruato, quod quotiescunq; ex additione figurarum eiusdem ordinis secundum, senarium cumulaueris, qui semper sexaginta ratione sui ordinis repræsentat, eo deleto, loco suo scribatur residuum si quid fuerit, & sinistretur unitas toties primæ figuræ grossioris denominationis immediate sequentis adijciatur, quoties senarius in secundo ordine præcedentis denominationis fuerat repertus. Nec à tali operatione cessandum erit, donec ad integrorum puta graduum locum fuerit deuentum, quorum 30. signum commune, 60. uero physicum constituere dinoscuntur. Quare 30. semper eiusdem loci abijciantur, ac pro eis deletis unitas sequenti signorum, scilicet loco addatur, si signa fuerint communia, uel 60. si denominatio sequens physica fuerit. Quotiescunq; etiam in eodem loco puta signorum ex tali additione 12. fuerint communia signa, uel 6. physica collecta, quæ integram reuolutionem faciunt, eis semper deletis, loco uero eorum scribatur residuum si quid fuerit, uel figura nihili si præcisa reuolutio fuerit accumulata. In fractionibus etiam temporis eisdem præceptis utendum erit, donec ad horas fuerit deuentum quarum 24. continue quia integra sunt diem perficiunt. Quare tot semper abiectis unitas denominationi grossiori conglomeranda erit, & hoc ideo, quia in quæ unumquodq; diuiditur ex eisdem componi necesse est.

De Subtractione.

Subtractio